



D.F.Y.S.



B. C. D.  
Exercitationum

*Ad*

NOVUM TESTA-  
MENTUM SYRIACUM,

Disputatio Septima,  
*Quam*

in inclutâ LEUCOREA,

*Publicæ συμφιλολογούντων προσδιαλέξῃ  
submitunt*

M. JOHANNES ERNESTUS  
GERHARDUS Jenensis,

&

CHRISTIANUS JANUS JERSINUS  
Hafniâ Danus.

*ad d. Novemb.*

in Auditorio Philosophorum  
horis antemerid.



WITTEBERGÆ

Imprimebat JOHANNES RÖHNERUS, Acad. Typogr.

ANNO MDCXLVIII.



*Viris admodum Reverendis, Excellentissimis,  
Amplissimis,*

**DN. LAURENTIO SCAVENIO, SS. Theologiæ D.**  
ejusdemq; in illustri Hafniensi Academia Professore Publi-  
co eminentissimo, de Ecclesia Christi optimè  
merito,

**DN. JOHANNI SUANINGIO, SS. Theolog. D. ejus-**  
demq; in inclyta Hafniensi Academia Professore  
Publico celeberrimo.

Ut &

*Virtute & rerum usu Prestantissimis Viris,*

**DN. HEINRICO FRISIO, Regiæ Civitatis Hafniensis**  
Senatori prudentissimo, gravissimo.

**DN. HERMANNO TURENIO, Regiæ Civitatis Ha-**  
fniensis Senatori prudentissimo, gravissimo.

*Patribus, Patronis, Promotoribus, Affinibus filiali  
observantia colendis*

Exercitium hoc Philologicum

D. C.

**Christianus Janus Jerſinus,**



D. D.

**F**elix semper suavissimumq; Theologiae inter ac Philologiae Sacrae studium fuisse connubiū, praecipuè ex quo dulcissimum Evangelii nuncium solenniter per totū mundum fuit praedicandum, haut malè forsā aliquis dixerit. Legimus sanè Actuum Apostolicorum Cap. II. quòd sanctissimus Apostolorum propè ab initio N. T. cœtus, per quem salutaris Evangelii de Salvatore totius mundi doctrina in omnes orbis angulos erat propaganda, non summorum solūm mysteriorum rerumq; divinarum scientiā, sed multarum quoq; Linguarum notitiā praclarè à Spiritu S. fuerit instructus: ita enim I. C. D. Lucas *πραξαποσόλ.* auctor vers. 4. καὶ ἐπλήθυνον ἅπαντες πνεύματι ἁγίῳ καὶ ἤρξαντο λαλεῖν ἑτέροις γλώσσαις, καθὼς τὸ πνεῦμα ἐδίδου αὐτοῖς ἀποφθεγγέσθαι. Ubi τ' λαλεῖν ἑτέροις γλώσσαις non ita cum *Aratore, Cypriano, Chrysostomo, Oecumenio, Carthusiano, Sanctio* & nonnullis aliis accipimus, *quasi unā tantūm fuerint Apostoli locuti lingua, quae variè ad aliorum aures delata,* sic enim miraculum in Auditoribus potius, quàm Apostolis videtur statuendum: sed cum *Augustino, Nazianzeno, Cajetano* & aliis existimamus potius (videantur cum primis *Chamier Panstr. Tom. I. c. 14. §. 10. it. Rev. atq; Excell. Dn. D. Job. Tob. Major Exegem. ad h. l.*) quòd ipsi Apostoli loquuti fuerint linguis diversis s. **HHH. V. W. N. Y. Z. N. A. †**



ⲛⲁⲓⲟⲩⲧⲓ h. e. *omnis regionis linguâ propriâ*, uti optimè vertit *Æthiops*, juxta ac statim sequitur v. 6. Atque ita dubio procul etiam intellexerunt *Syrus & Arabs*, reddunt enim: *Et incipiebant loqui linguâ linguâ*, quæ phrasis idiotismo LL. Oriental. notat *multas linguas diversissimasq.* Quis verò nescit, tempestate illâ, quâ Deus benignissimus verbum suum, Pontificiorū, in primis Scholasticorum fermento corruptum, per fidele ministerium *Martini Lutheri* Viri Dei, in Germaniâ purum rursus prædicari voluit, ac singularem hanc gratiam Germanis nobis concessit, ut ab eodem *B. Lutero* nova Bibliorum versio accuratissima adornaretur, florere in Germaniâ simul cœpisse Sacrarum Linguarum studium? Excitabantur tunc viri magni, qui egregiè has ipsas excolebant; quos inter cum primis eminuisse notum est, *Job. Forsterum, Melancthonem, Crucigerum, Justum Jonam* & nonnullos alios, quorum auxilio adjutum in sanctissimo illo labore Magnum illum nostrum *Lutherum*, ex *Mathesio* discimus. *Philologiam* verò *Sacram* illud cum primis nominare solent studium, quod circa Linguas, quibus Deus benignissimus authenticas utriusq; foederis tabulas ad nos transmitti voluit, versatur & occupatum est. Has verò alias esse nullas, quàm *Ebraam* Linguam (ad quam *Chaldeo-Syriacam*, quarum alterâ *Targumim V.T.* alterâ *Paraphrasis s. versio N.T.* jam inde à mille & amplius annis extant exarata, propter summam harmoniam nos referimus, alii etiam Doctissimi Viri nec *Arabicam, Æthiopicamq; Sacre Linguae* carceribus excludunt) itemq; *Grecam*, apud omnes rectè sentientes in confesso est. Ut ut verò ad ipsius *Ebrææ Linguae & cognatarum intelligentiam* for-  
san

san haut faciat, scire accuratè, quis valor  $\text{ד}$  *daghesch* le-  
 nis, an *Syri* habeant hoc tantum, an verò etiam *daghesch*  
*forte*. it. an illi ipsi *scheva simplex* solùm agnoscant, &  
 non simul *compositum*, aut etiam *patbach genufa* s. furti-  
 vum. *quomodo item littera Beghadbcephath*, ceu vocari so-  
 lent, *efferratur*, quibus in locis duriter, quib9 item molli-  
 ter &c. ut ut, inquam, hujusmodi talia vocum significa-  
 tionem fortè haut mutant vel indicent, convenire ta-  
 men existimamus Linguarum harum cultori & excul-  
 tori, nec talia etiam ignorare. Quemadmodum enim in  
 Latinâ linguâ itemq; Gracâ orthographiam, quin & in  
 posteriori accentuum etiam rationem nosse, non solùm  
 pulchrum est, sed forsàn omnino necessarium, ita quo-  
 que in Orientalibus Linguis scriptionis accuratæq; le-  
 ctionis habere notitiam aliquam utile pariter esse cen-  
 semus, ac jucundum. Sit itaq; Exercitationis præsentis  
 VII.

POSITIO I.

Schickardi querela de Semi-Ebræorum auda-  
 cia recensetur. Contzen! Jesuitæ errores  
 aliquot propalantur.

Justissima profectò est Philologi clarissimi, &  
 quem, Rabbinorum si quis respiciat lectionem, cum  
 paucis conferendum, Germania nostra habuit, *Wilbel-  
 mi Schickardi* Professoris quondam *Tubingensis*, de Se-  
 mi-Ebræorum, tum audaciâ tum ingratitude quere-  
 la, quam legere licet Præfatione ad egregia illa Rei litte-  
 rariæ ornamenta *Lansum & Besoldum*, super כהב. Sed  
 cum non elegans minùs (*dolor enim venustos facit*, Pli-  
 nio



nio meo teste) quàm justa illa sit, haut tædio erit, huc adponere, quoniam adeò grata juxta cum Præceptoribus meis ea mihi hæctenus fuit, ut nunquam sine aliquâ animi titillatione legerim. In hac verò Vir solidè doctus erumpit plena leporis, plena veritatis, plena acuminis verba: *ô quàm frequens est hodie Semi-hebræorum temeritas, qui ut Rabbinos legisse putentur, Maimonidas, Nachmanos, Aben-Ezras, Bechajos, R. Salomones subinde crepant, ipsamq; adeò Talmudum citant, quorum tamen nihil unquam, ne per transfennam quidem, non dico legerunt, sed vix viderunt, ut si quis eos de externâ tantùm libri figurâ rogaret, in cætavâ quam vocant excusos, fortè responderent. Malunt enim apparere tales, quàm revera esse. Pro his jampridem Galatinus & Munsterus, nuper etiam CL. D. Helvicus laborarunt, ut cum illorum vitulis gnæviter arare sciant; quod vel sola typographica errata tam fideliter transcripta produnt. Id tamen illiberale minus esset, si quis non ex professo Ebræus, eorum fide recitet, & optimos viros meritâ laude suâ, suppressis nominibus non fraudet. Rectissimè sanè! Jesuitas si spectamus, sedis Pâpalis parastatas audacissimos, promachos indefessos, qui que non præ nostræ solùm religionis hominibus ac viris doctis, sed præ Pontificiorum quoq; reliquorum catervâ ac Monachorum cohortibus altiùs quid sapere sibi videntur, & esse aliquid omninò volunt, quis quæso inter illos est, si vel tantillum in Sacra V. T. commentatur Biblia, qui non Targhumim, R. Salomonem, R. Eben-Ezram aliosq; Rabbinos, Syriacam etiam, (in N. quando Commentaria componenda fœdus,) N. T. paraphrasin (Arabiam etiam Æthiopicamq; sanè quàm lubenter sæpè allegarent, modò fuisset, qui è characteribus Arabicis &*



& Æthiopicis in Ebraeos pro sanctulis hisce ac superbis Patribus hasce versiones transfudisset, Æthiopicam etiã Latinè vertisset, quod in Syriacã versione factũ omnibus penè crepet pagellis? Jurare ego ausim, absq; *Tremellio*, *Guidone Fabritio*, & forsan aliis paucis fuisset, non tam multos ambitiosã Syriacæ N. T. versionis allegatione superbituros. Produnt sanè hîc non rarò errata, quæ in scriptione saltim Patres isti committunt, quàm parum & vix mediocriter in Linguis Orientalibus sint versati. Ulcuscula *Contzen*I, viri non infimi è prædicto ordine subsellii peculiari Dissertationis præced. V. Capite jamtum tetigimus aliqua, & in posterum etiã forsan plura adhuc capita eidem dare habebimus necessum. Non tamen sat *Contzenio* existimationis fuisset ac honoris, Syrum allegare, nisi *Targhumim* quoq; & Rabbinos in scenam produxisset. Qui tamen adeò severum in *Contzenio* experti sunt judicem, ut nullus ego ambigam, per hunc si res hæc stetisset solum, non mitius cum illis fuisse actum, quàm olim tempore Gregor I IX. Innocentii IV. Jul I III. ac Pauli IV. Pontificum Roman. de quibus *Sixtus Senensis* lib. II. Biblioth. In voce Traditiones p. 149. ex variis Historicis prodit, quòd aliquot mille Talmudhicorum librorum exempla Vulcano consecrari mandarint, immortalis scil. nominum suorum laude! Discernere, puto, deberent præposteris hî gloria Christi Zelotæ ac Catones rigidi inter malum & bonum, quod in libris Judaicis quoq; inveniri, nemo facilè ibit inficias, nec infantem cum excrementis, quod proverbio dici solet, in primo statim lavacro abjicere. Sed ad *Contzenium*. Qui ut probet contra Lutheranos, hos enim Novatorum nomine illum intelligere,

gere, facile est hariolari, Scripturæ S. sive librorum  
*יהוה וְשׁוֹ* scriptionem non fuisse necessariam (quamvis  
enim ipse videri vult, ac si concedat, ex hypothesi fuis-  
se necessarium, verbum Dei in literas redigi: ita tamen  
necessitatem hanc explicat, ut vix nobis eandem largiri  
videatur) id agere conatur, ut ostendat, *quemadmodum*  
*Resp. Legibus laborare dicitur, cum eas inquieta ingenia*  
*torquent: ita quoque de Scripturâ innumeras concertationes*  
*orbem convellisse, multosque præstet non legisse, quàm lectas*  
*adulterasse Scripturas.* Sed ne sine ratione causaque ad-  
ferere hoc censeatur Jesuita, relictis antiquis hæreticis,  
qui Ecclesiam lacerarunt, Arrianis, Ebionitis aliisque in-  
numeris, solos Judæos in scenam producit, quiq; eos-  
dem, ex *Contzen* sententiâ imitati sunt, novatores (per  
hos verò quos Jesuita intelligat, ex ipso *Contzenio* Le-  
ctori relinquimus indagandum. in consortium certè  
istorum plerunq; Lutheranos quoque sumit.) & hos qui-  
dem propterea, quòd, etsi sententias Judæorum erro-  
neas itemq; blasphemias detestentur, cum tamen ad  
Grammaticam & verborum proprietatem deventum  
est, plus perfidiæ illorum, quàm LXX. vel *Hieronimi*  
aliorumq; doctissimæ sinceritati tribuant. Sed bona  
verba quæso *Contzeni!* nollem dicere, quadrare in te  
vulgatum illud; *ars non habet osorem, nisi ignorantem:*  
nisi vel in nominum saltim imperitâ allegatione quo-  
dammodo ostenderes, non multum in Rabbiorum,  
quos tantopere carpis, lectione te consumsisse olei.  
Quæ enim tibi tot figmenta Talmudhica? de Talmu-  
dhicis quidem fabellis nonnullis idem fors n aliqui  
tecum sentient, ut ut alii contrarium. Quis verò ti-  
bi *R. Salomo*, dictus *Tarcha*? de *R. S. Jarchi*, (*רש"י*) *Raschi*  
per

per  $\text{ר'}$  communiter adpellato, qui in Galliis circa  
 annum Christi 1090. floruit, ac mortuus est anno Chri-  
 sti 1105.) inter eruditos quidem constat optimè, & hujus  
 quoque Commentaria non adeò detestanda ipse ali-  
 quando consului. at de *Tarcha* per somnium forsan au-  
 divisti Contzeni. An verò *R. Mosen*, qui *Darschan* &  
 cum  $\text{ה' דרשן}$  *Haddarschan* i. e. Concionator vulgò  
 dictus, teste *Buxtorffio*, intelligis? sed quæ cognatio in-  
 ter *Tarcha* & *Darschan*? Nisi totus fallor, fuit alicubi er-  
 roneè excusum *Tarchi* pro *Jarchi*, & inde *Contzenio* suus  
*Tarcha*. De *R. Abraham*, *Aben Ezra* h. e. filius s. nepos  
 potiùs *Exra* adpellato (hunc enim dubio procul intel-  
 ligit *Contzenius*) lubentes admittimus, quòd post *Ra-*  
*schi* scripserit, an verò contemptor ejus extiterit, non est  
 nostrarum indicare vel adserere virium. Novimus  
 quidem Abrahamum hunc, qui ob eximiam, quâ in-  
 ter Judæorum Magistros claruit, non sacrarum solùm  
 litterarum, sed Philosophicarum etiam scientiarum, in-  
 primis Matheseos peritiam  $\text{ה' חכם}$  i. e. *Sapiens* à Ju-  
 dæis nominari consuevit, in præfatione de ratione  
 Commentariorum in Legem recensere quinque com-  
 mentandi modos, (quos eruditè ac perspicuè ipsius  
*Etzra* verbis proponit *CL. Schickardus*  $\text{ב'}$  pag. 140. &  
 seqq.) ac priores quatuor refutare ac contemnere, ulti-  
 mumq;, qui  $\text{ה' פשוט}$   $\text{ר'}$  s. sensum litteralem indagat &  
 sequitur, amplecti. & hunc ipsum quoque præ reliquis  
*R. Salomon* in Commentariis suis biblicis observat haut  
 negligenter. Quî igitur *R. Salomonem* contemnat &  
 quâ de causâ, nos quidem non videmus. Pergit Jesuita:  
*Majore astu Josepb Kimchi ejusq; Filij David & Moses*  
*rem aggressi in Hispaniâ.* Fatemur sanè & nos, acer-  
 timè

B

timè



rimè Kimchios in Christum & Religionem Christianam fuisse invecos. digni igitur, ut officium nomini ipforum conveniens ob blasphemias illas iisdem fuisset demandatum h. e. in molam aut pistrinum, quò ab hujusmodi maledictis abstinere, discerent, à Magistratu fuissent detrusi. Id tamen haut veremur adfirmare, inter quisquillas illas margaritam interdum aliquam inveniri, in primis cum non dicti sensum exponunt, sed verborum saltim nativam significationem, parallelis adductis locis, scrutantur. Placet in gratiam Contzenii, Socienni Ejus, non Jesuitæ quidem, sed Pontificii tamen, *Simonis de Muis* Professoris Regii Parisiensis adponere hinc de R. D. K. judicium paullo mitius, quàm Jesuitæ (quem tamen *Esavitam* hinc non immeritò dixeris, cum non minori Judæum prosequatur inimicitia, quàm olim forsan Edomæi populum Israeliticum.) Postquam is ridiculam aliquam rationem R. D. *Kimchi* adduxisset, subdit: *præter morem suum sanè fecit Kimchi, qui nugis non solet delectari, sensui litterali & historico planè addictus, ideoq. dignus, cui Christiani dent operam.* Com. in Psal. p. 337. Aliàs notum, quòd *Kimchius* apud Philologos modò *Doctissimus*, modò *diligentissimus*, modò *prestantissimus Ebraorum Grammaticus* audiat. Vid. laudatum *Muis* Comm. in Ps. III, 2. p. 220. a. It. *Fullerum* Miscell. Sacr. lib. 5. c. 3. & p. 46. Missum nunc faceremus Contzenium, nisi ridicula in eo nominis R. *Levi ben Gerson*, qui compendiosè, per  $\text{רלבג}$  scil. *Ralbag* nominatur, interpunctio, quæ tamen typhothetæ, an v. *Contzenio* sit adscribenda, aliis decidendum relinquimus, illum ipsum reduceret. Distinctum in eo commatibus cernitur prædictum Rabbini nomen ita: *R. Levi, ben, Gerson*. Si à *Contzenio* ita accuratè voces distinctæ, miramur, cur non

&

& paullo ante post nomen *Abraham*, itemq; post *A ben* comma posuerit, cum eadem illic, ut unum ab altero per comma distinguatur, ratio adsit, quæ hîc inter *ben* & *Gerson*, nimirum nulla. Nisi, quod tamen absit, ut tanto viro, *Conzenium* intelligimus, imperitiam tribuere facile audeamus, forsan pro diversis Rabbinis habuit hîc, *R. Levi, Ben & Gerson*. Et hæc quidem occasione elegantissimæ querelæ *Schickardi* nostri.

## POSITIO II.

Scriptio nominis *Axiu* expenditur. Scriptores sacri N. T. nomina Ebræa propria exprimentes non semper accuratam singularum literarum habuerunt rationem.

In nominum priorum N. T. scripture incertitudo non conjuncta cum salutis periculo.

Ut ut discrepantia occurrat in Codd. Græcis quoad scripturam nominis proprii *axiu*, ceu à *Glassio, Fr. Luca Brugensi* aliisque pridem notatum, dum alii Codd. *axiu*; alii *axiv*; alii deniq; *axiu* legunt; omnes tamen, quos videre mihi contigit, Codd. *Syri* excusi & cum his quoq; noster MS. consentiunt, sistuntq; אַיִן Eodem prope modo *Arabs*: legit enim *Achin* per *cha*. Sed *Æthiops* ἄκιν: *Acim*, duriusculè. Quæritur igitur, quanam lectio in Græcis sit melior. Anne prima, quæ *Axiu* sistit; an verò secunda, quæ exhibet *axiv* confirmaturq; *Syri*, Interpretis vetustissimi, & *Arabis* consensu. an deniq; ultima per *axiu*, quam *Eclogæ Græcæ* MS. sæpiusculè hæctenus allegatæ comprobant, ac cui favere videtur *Æthiops*, & insuper amplectuntur *Operis Regij Editores*. Facilius sanè esset ferre hîc iudicium, si in V. T. nomen hoc inveniretur: verùm cum generationes ab *Abiud* usque ad *Jacobum* Josephi parentem non legantur

tur in tabulis veteris foederis, sed per divinam manifestationem Evangelistæ revelatæ, vel ab eod. ex Genealogiis Ebræorum, (qui istarum, inprimis quoad Davidis familiam, utpote ex quâ Messias promissus expectabatur, seduli erant observatores,) desumptæ, res sanè oppidò difficilis, certi hîc quid determinare. Neq; tamen per hoc ipsum vel tantillum S. Codicis Græci authenticæ decedit auctoritati, ut ut hæere cogamur ambigui, quamnam sequamur lectionem, & quænam ab ipso Scriptore Sancto profecta. utpote cùm propria Ebræorum nomina ad peregrinas traducta linguas haut rarò unius alteriusq; litteræ, quin & syllabæ permutatione deflectant, docentibus nos ita *B. Parente, Schickardo, Drusio, Pasore* aliisque. Inprimis cùm tali de re hîc agatur, quæ sensum non gignit ambiguum, multò minus incertum. Ut tamen aliquid saltim dicamus, reliquis præferenda videtur lectio per  $\alpha\kappa\epsilon\iota\mu$ , utpote quam exhibent vetustissimi Codd. Græci, quæ cum reliquis nominibus, quæ ex hoc nomine compositæ vel ortæ videntur, consentit, ut præced. Comm. 13. & Luc. III. 30.  $\epsilon\lambda\iota\alpha\kappa\epsilon\iota\mu$  item  $\iota\alpha\kappa\epsilon\iota\mu$  secundùm quosdam Codd. v. II. Ut ut enim ex Ebr.  $\text{קָיִן}$  ortum esset, posset tamen nihilominus crescente etiam ab initio voce,  $\text{ק}$  duriusculè N. T. more efferrî, certè *Æthiops* similiter duriter per  $\text{N}$  suum effert. Quòd verò *Syrus* molliùs videtur efferre, (nam & *Kuschoi* supra Coph potest. subintelligi, cùm id ipsum in excusis Codd. ferè semper omissum, sicq; etiam duriter legi) quemadmodum *Arabs* mollissimè per suum *cha* legendum sistit, forsan inde factum, quòd mage ad Ebraicam respexerint originem. Si tamen ex Ebr.  $\text{קָיִן}$ , à quo nomen  $\text{קָיִן}$ , proprium  $\text{קָיִן}$  esset formatum, nescio certè, quare *Syrus* & *Æthiops* adhibuerint *capb*, quin & *Arabs*

*Cha*

*Cha*, cum versu præced. nomen *Eliakim* per *kaph* scribant. U si certè videntur *Syrus* ac *Arabs* Codicibus, qui *ⲁⲗⲉⲓⲩ* exhibent per *ⲗ* & *ⲕ*. Verùm de lectione dubiâ dubiorum satis.

### POSITIO III.

*Francisci Luca Brugensis* opinio rejicitur. *Vulgatus* Interpretis nomen *JESU*, quod in Græco textu habetur, malè omisit. *Syrus* sæpiusculè hoc, sicuti & *Æthiops* epitheton *Domini* inserit, ubi in Græco textu nihil hujusmodi apparet. Idem quoq; sicuti & *Syrus* suffixum nomini *Domini* Christo tributum, addit. *Syrus* pro nomine *Domini* aliquando & nomen *Jesu* substituit.

Vana omninò est suspicio *Francisci Luca Brugensis*, *Audomaropolitana* Ecclesiæ in Belgio Theologi & Decani, Commentatoris Scripturæ eruditissimi, existimantis, nomen *JESU* in Græco textu v. 18. esse adjectitium, à scriba adscriptum, vel ex consuetudine recitationis Ecclesiæ, vel ex proprio studio: cum non perinde congruat contextui sermonis, quo repetitur sola vox Christi è proximo. Addit: auctor operis in *Matthæum imperfecti* non agnoscit nomen *Jesu*. Miror, quare non addat auctoritatem *versionis vulgatae*, utpòte authentica quæ à Pontifice Romano pronuntiata. Sed ut est *Brugensis* hic aliàs satis judiciosus, ita prævidit procul dubio, non magni apud Eruditos, imò illorum quoq; nonnullos, qui in verba Magistri illius Romani jurarunt, Interpretis *Vulgati* fore auctoritatem, quoniam à textu discedit Græco, quod quamplurimis exemplis demonstrare in proclivi esset: quapropter firmiora adhibenda putavit fulcra; quæ nisi destruantur, sat firmum quoq; perstiturum censuit ædificium hoc, aliàs ruinofum. quod tanto conamine consolidare nituntur stolidi Pontificis Romani admiratores. Sed enim cum



apud nos nulla omnino versionis vulgatae, quoniam à textu deflectit originali, auctoritas sit, merito h. l. nomen JESU agnoscimus, ut ut non nesciamus, à B. etiam *Luthero* nostro fuisse omissum. Quod v. rationes concernit laudati *Fr. Lucae*, quarum una nititur auctoritate *auctoris operis imperfecti*, altera contextus *oua* *Φεία* uti *Brugensis* quidem sibi persuasum habet: illae tanti apud nos momenti esse non possunt, nec debent etiam, ut à consentientibus Codd. Græcis discedamus. Quod enim in versu præced. nomen hoc non habeatur, respondemus, haut oportere esse, ut hic versiculus unice ad illum referatur, immò adserimus potius, respicere Evangelistam in h. v. simul ad v. i. ubi utrumque habetur nomen. Confirmant v. receptam Lectionem Græcam *Syrus*, (omnibus hinc, quantum nobis constat, insuperque nostro MS. cum editis Codd. consentientibus,) *Arabs & Æthiops*, Interpretes sanè nequitquam contemnendi, ex parte etiam vetustissimi, Apostolorumque temporibus satis propinqui. Ut taceamus Patres Græcos, qui *Ἰησοῦς* nomen JESU h. v. agnoscunt. Quos contra gravissimos ex Oriente ac Occidente testes nil nos movere potest vel debet (ad ratiunculam enim enim *Brugensis* quam ex contextu petit, jam tum responsum) unius Auctoris, Operis imperfecti lectio imperfecta & auctoritas. Non fugit quidem nos, haut raro *Syrū* (secundum vulgatos videlicet Codd. nam in MS. nostro accuratissimo vetustissimoque non adparet locis mox citandis) nomen *Ιησους* inseruisse, uti Matt. IV, 21. Marc. VI, 1. Joh. XXI, v. 15. 16. 17. &c. sicuti & alibi à nobis ostensum, ubi tñ. in Codd. Græcis non invenitur. Sed illis ipsis in locis nec *Arabem* nec *Æthiopem* agnoscere illud, constat. Ubi v. Codd. Græci constanter illud exhibent, *Syrus, Arabs & Æthiops* etiam sistunt, ibi sanè rationem videmus nullā, quo-



quomodo à Scriptore aliquo ita inferi potuerit, ut juxta  
 cum Græcis exemplis in antiquissimas has versiones co-  
 stanter manarit. Sic similiter *Syrus* nomen *Christi* omit-  
 tit Joh. I, 42. & C. IV, 25. sed quare hoc ab eo factum, ratio  
 forsitan non omninò nulla adferri potest; Cùm n. d. I. no-  
 men Ebræum מְשֻׁסָּה exponatur ab Evangelistis, ipse In-  
 terpres *Syrus* existimavit, jamtum Lectori Syro, vocem  
 illam, utpote vernaculam notam esse, ut de significa-  
 tione neutiquam dubitare possit. hinc studio à Syro hoc  
 factum esse, nulli dubitamus. Quod verò etiam Mat. XX.  
 ult. in Edit. Cothenâ aliisq; omissum nomē *Ἰουδαία*, ibi  
 adfirmare non veremur, esse in Codd. illis Scriptorum  
 erratum, non Interpretis, cùm juxta cum *Græco* textu, *A-*  
*rabe* it. ac *Æthiops* Interpr. agnoscat Codex noster MS.  
 Non possumus non, quin de *Æthiops* adhuc addamus,  
 hunc ipsum Interpretem perquam frequenter nomen  
 ጸጋዘጸ, quod in *Æthiopica* Lingua pro nomine  
 Ebr. יהוה etiam adhibetur, ac *Dominum* notat, sanctissi-  
 mo nomini ጸ. ሆ. ገ. ገ. Jesus præmisisse, idque dubio  
 procul ex reverentia erga suavissimum hocce ac venerā-  
 dum nomen. Id verò mirum alicui videri potest, cur et-  
 iam adhibuerit Matth. XXVI, 79. ubi dicitur: *Et accessit ad*  
*eum* (Petrum) *ancilla* (*Æthiops* habet tum hîc, tum Marc.  
 14. 66. Luc. XXII, 56. dictionem ወለት: quæ cōmuniter  
*Filiam* notat à rad. ወለት: genuit, hîc v. *ancillam*; nam  
 in Græco est παιδίον ἰουδαίου) *una* (omisit *Æthiops*) *dicens*  
 (*Æth.* *Et dixit ei:*) ጸ. ሆ. ገ. ገ. ጸ. ሆ. ገ. ገ. ጸ. ሆ.  
 ገ. ገ. ገ. ጸ. ሆ. ገ. ገ. *tu quoq; cum Domino Jesu*  
*Galileo* (*Syrus* habet *Nazareo*, quemadmodum etiam v.  
 seq. 71. habetur in *Græco*, *Arabe*, ac *Æthiops*, nec non apud  
 Marc. C. XIV, 67. ast hoc in loco *Æthiops* juxta cum *Ara-*  
*be* rectius sequitur *Græcum* textum, vertitq; per *Gali-*  
*leum*)



*laum)eras*. Pariter etiam adhibet v. 71. nec non Marc. XIV,  
 67. Majorem nimirum pietatem puellæ huic Æthiopes  
 tribuunt, quàm catervæ è militibus, ac Pharisæorum  
 ministris à Judà contractæ, quã ita nudè loqueutè intro-  
 ducit Interpres: *Et dixerunt: Ἰησοῦς ὁ Ναζαρενός: Ἰη-  
 sum Nazarenum* Joh. XIIX, 5. & 7. Quam verò pietatem  
 adversus Salvatorem nostrum Æthiopes, ceu hæctenus  
 vidimus ostendunt, præponendo sc. communiter nomi-  
 ni *Jesus* epitheton *Dominus*: eandem insinuare videntur  
 Syri, quando nomini **ܕܝܘܨܘܣ**, quod *Dominum* notat ac a-  
 pud Syros Ebræo **יהוה** respondet, Christo Salvatori no-  
 stro in N. T. attributum, suffixum pl. numeri primæ per-  
 sonæ subjungunt h. m. **ܕܝܘܨܘܣܢܘܨܬܪܝܢܐ** *Dominus noster*, vel etiam  
**ܕܝܘܨܘܣܐܝܢܐ** *Domine mi* cum suff. sing. num. Exempla postero-  
 ris cape Matth. IIX, 2. 6. 8. 21. XV, 22. Luc. V, 12. VII, 6. XXIII,  
 42. & locis fermè omnibus, ubi in Græco Vocativus **κύριε**  
 ab uno adhibetur. prioris exempla invenies Matt. IIX, 25.  
 28. XXII, 6. Marc. XVI, 19. Luc. I, 28. XII, 41. XVI, 5. XIIX, 6.  
 XIX, 31. 34. XXIV, 34. Joh. XX, 18. 20. 25. (quo postremo ta-  
 men loco MS. nostrum nudè nomen **ܕܝܘܨܘܣ** exhibet)  
 Cap. XXI, 7. 12. Act. VII, 59. 60. IIX, 16. & alibi passim.  
 Quin & hoc observare est, Syrum hunc non semel ubi  
 in Græco **κύριε** extat, pro eo adhibere nomen **ܕܝܘܨܘܣܐܝܢܐ**.  
 exempla desiderias? En Luc. VII, 13. X, 1. XI, 39. XII, 42.  
 XXII, 61. IV, 1. Cujusmodi tale num Arabs quoq; fecerit,  
 hujus loci non est disquirere, nec tempus etiam suppe-  
 tit. Unicum adhuc addimus de Æthiopo, qui simili-  
 ter suffixum nomini **ܕܝܘܨܘܣܐܝܢܐ** annectit, quod ta-  
 men in Græco textu ibid. non apparet, Luc.

XII, 41. Ac tantùm hac vice.

D. G.

U8 A 6412

Sf


ULB Halle 3  
002 920 379



U8 77

Rebro ✓







43

B. C. D.  
Exercitationum

*Ad*

NOVUM TESTA-  
MENTUM SYRIACUM,

Disputatio Septima,

*Quam*

in inclutâ LEUCOREA,

*Publicæ συφιλολογούντων προσδιελέξθη*  
*submitunt*

M. JOHANNES ERNESTUS  
GERHARDUS Jenensis,

&

CHRISTIANUS JANUS JERSINUS  
Hafniâ Danus.

*ad d. Novemb.*

in Auditorio Philosophorum  
horis antemerid.



WITTEBERGÆ

Imprimebat JOHANNES RÖHNERUS, Acad. Typogr.  
ANNO MDC XLVIII.

